DE CICERONIS
LIBRORUM DE OFFICIIS FONTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XII MENSIS FEBRUARII HORA XI
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

PAULUS KLOHE
POMERANUS.

ADVERSARII ERUNT:

R. MUELLER, STUD. PHIL.
G. KIRCHNER, CAND. PHIL.
A. HILLSCHER, STUD. PHIL.

GRYPHISWALDIAE MDCCCLXXXIX.

PATRI CARISSIMO

S.

Librorum de officiis fontes exploranti duo mihi proposui: primum quidem de ea parte illorum librorum, cuius fontem Panaetii libros περὶ τοῦ καθήκοντος esse Cicero ipse testatur[1]), i. e. de libri I §§ 1—151 et libri II §§ 1—85 diiudicare, quae sententiae ex illo fluxisse, quae ipsius Ciceronis esse videantur; deinde de libri I §§ 152—161, libri II §§ 88. 89[2]), toto libro III quaerere, num fontes discerni possint, ex quibus Cicero illa hauserit.

Pars I.
I §§ 1—151, II §§ 1—85.

Viri docti, qui antea de hac re disseruerunt[3]), inter se paululum dissentientes omnia fere Panaetii esse putant, exceptis exordiis et exemplis ex historia romana adiectis

1) ep. ad Att. XVI 11, 4. off. II 60. III 7. — I 9 sq.

2) §§ 86. 87 Antipatro Tyrio Ciceronem ipsum respondere apparet. Quare de his non agendum erit.

3) Satis sit hos commemorare: van Lynden disputatio historico-critica de Panaetio Rhodio. Lugd. Bat. 1802 p. 100. 102. Heine ed. p. 23 sqq., Mueller ed. p. XI sqq., Hirzel Untersuchungen zu Ciceros philosophischen Schriften pars II, in qua satis multos locos librorum I et II de off. ad historiam disciplinae Stoicae describendam doctrinamque Panaetii illustrandam adhibet. Audacissimis verbis illam sententiam expressit Fowler (Panaetii et Hecatonis fragmenta. Bonnae 1885 p. 3).

et fortasse eis sententiis, quae ex romani ingenii indole fluxisse viderentur. Sed etiamsi Ciceroni dicenti se Panaetium non interpretatum esse, sed correctionem quandam adhibuisse [1]) fidem non habemus et id, quod satis multis locis non ipsum Panaetium, sed universe Stoicos fontis loco nominat, non multum valere concedimus: nemo adhuc argumentis demonstravit in eis libris componendis, qui sunt de philosophia morali, eam fuisse Ciceronis rationem, ut fontem tantummodo describeret. Haec opinio imprimis eo nititur, quod Cicero putatur omnino non philosophiam callere. Sed quamquam non erat philosophus, tamen mediocrem quidem notitiam habebat philosophiae [2]), quoniam et scholis praeceptorum affuerat et libros ad philosophiam pertinentes sane non paucos legerat. Quin etiam existimare licet eum, quo erat amore scribendi, collectanea habuisse, quibus ea, quae scitu digna viderentur, mandaret [3]). Porro veri simile est Ciceronem eos libros, quibus antea de simili quadam re egisset, in scriptis serioribus componendis respexisse [4]).

Quare si qui vult cognoscere, quae sententiae a Cicerone in libris ad philosophiam spectantibus prolatae eius propriae sint, sive ex ipsius ingenio fluxerint sive eius studiis philosophicis debeantur, ei primum cetera scripta, quibus de eisdem vel similibus rebus egit, conferenda sunt. Sed multo maioris momenti et principalis nota iudicandi est, qui sit nexus sententiarum eius libri, de quo quaeritur, accuratissime perscrutari.

Sed priusquam ad libros de officiis enodandos accedamus, pauca de Panaetii opere monenda sunt. Panaetius libros *περὶ τοῦ καθήκοντος* et edidit eo tempore, quo

---

1) I 6. II 60. III 7 off.

2) Eum rerum Graecarum ita fuisse peritum, ut exempla inde petita posset de suo afferre, id quoque nemo non concedet.

3) Cfr. infra p. 12.

4) Cfr. infra p. 18, 4. 20, 3. 24, 3. 32: de Laelio.

summa florebat familiaritate Scipionis eiusque amicorum, et conscripsit in usum Romanorum et quidem ipsorum familiarium suorum [1]). Quin etiam in illis libris aliqua ex parte id egit, ut ea, quae Africanus de rei publicae romanae statu sentiebat, quasi philosophiae rationibus confirmaret, adversarios autem Africani impugnaret. Nam off. II 60 Cicero testatur Panaetium theatra, porticus, nova templa non probasse. Hoc autem placito ille philosophus L. Mummium et Q. Metellum Macedonicum quodam modo reprehendit, quorum uterque paulo ante a. u. c. 614, sub quem libri *περὶ τοῦ καθήκοντος* conscripti sunt, huius modi opera condiderat. Prior enim Achaia devicta cum Herculi Victori templum dedicavit tum theatrum aedificavit, quod multo maiora commoda spectantibus praeberet quam ea, quae prius quotannis exstructa erant [2]); posterior vero, postquam de Andrisco triumphavit, praeclarissimam porticum et templum Jovis Statoris condidit [3]). Nec minus, quod l. c. muri, navalia, portus, aquarum ductus probantur, Panaetius, cuius haec quoque sententia est, res romanas illius aetatis respicit. A. u. c. 610 enim non solum aqua Appia et Anienis refectae sunt, sed etiam „clarissima omnium aquarum“, Marcia, exstructa est [4]). Muri autem et navalia et portus quo spectent apparet ex aliquo liberalitatis exemplo, quod l. c. § 56 datur, „captos a praedonibus redimere“. Scipio una cum Panaetio sub a. u. c. 611

---

1) van Lynden l. c. p. 47. 82. etiam 11 sqq.

2) Mommsen r. G. II 46 sq. 442 sq. Tacit. ann. XIV 21. Vitruv. V 5, 8. — Ceterum hoc quoque notandum est a. u. c. 599, „cum locatum a censoribus theatrum exstrueretur, P. Cornelio Nasica (genero Africani maioris) auctore tamquam inutile et nociturum publicis moribus ex s. c. destructum esse“. (Liv. perioch. 48. Valer. Max. II 4, 2. Vellei. I 15).

3) Vellei. I 11, 3. Mommsen II 460 sq.

4) Strabo XI p. 525. Plin. n. h. XXXI 3, 24. Mommsen II p. 390.

Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam obiit, ut videret, quomodo praedonum maritimorum illa pestis reprimi posset[1]). Iam vides, quibus remediis opus esse ille[2]) putaverit: rem navalem Romanorum diu neglectam in melius restituendam et eas oras, quae maxime a praedonibus tenerentur, castellis muniendas esse[3]), sicut posterioribus temporibus factum est.

Praeterea de divisione operis Panaetiani pauca dicam. Cicero igitur ea, quae Panaetius tribus libris exposuerat, duobus absolvit. Quaeritur, quae librorum Ciceronis partes singulis Panaetianis libris respondeant. Eam igitur Panaetii divisionem fuisse per se veri est simillimum, ut officia, quae ex duabus prioribus virtutibus fluerent, libro I *περὶ τοῦ καθήκοντος*, ea, quae ex duabus posterioribus orerentur, libro II tractaret, de utilitate autem libro III ageret, ita ut liber I Ciceronis libris I et II Panaetii, liber II Ciceronis libro III Panaetii responderet. Haec opinio confirmatur illo fragmento librorum *περὶ τοῦ καθήκοντος*, quod apud Gellium N. A. XIII 28[4]) servatum est; ubi haec sunt: „Legebatur Panaetii philosophi liber de officiis s e c u n d u s ex tribus illis inclitis libris, quos M. Tullius magno cum studio maximoque opere aemulatus est. Ibi scriptum est, cum multa alia ad bonam frugem ducentia, tum vel maxime, quod esse haerereque in animo debet. Id autem est ad hanc fere sententiam: „Vita“, inquit, „hominum, qui aetatem in medio rerum agunt ac sibi suisque esse usui volunt, negotia periculaque ex improviso adsidua et prope cotidiana fert. Ad ea cavenda atque declinanda perinde esse oportet animo prompto semper atque attento,

---

1) Cic. rep. VI 11. acad. II 5. Mommsen II p. 64.

2) Nam Scipionis, qui persaepe cum Panaetio coram Polybio de re publica disserere solebat (Cic. rep. I 34), hoc iudicium esse per se apparet.

3) Nam huc spectare videntur muri = τείχη = castella.

4) Fowler p. 33.

ut sunt athletarum, qui pancrati[ast]ae vocantur. Nam sicut illi ad certandum vocati proiectis alte brachiis consistunt caputque et os suum manibus oppositis quasi vallo praemuniunt, membraque eorum omnia, priusquam pugna mota est, aut ad vitandos ictus cauta sunt aut ad faciendos parata; ita animus atque mens viri prudentis, adversus vim et petulantias iniuriarum omni in loco atque in tempore prospiciens, esse debet erecta, ardua, saepta solide, expedita, iam sollicitis numquam conivens, nusquam aciem suam flectens, consilia cogitationesque contra fortunae verbera contraque insidias iniquorum, quasi brachia et manus, protendens, ne qua in re adversa et repentina incursio inparatis inprotectisque nobis oboriatur". Hanc sententiam quamquam et in brevius contractam et paululum mutatam Cicero off. I 80 [1]) exhibet his verbis: „Fortis vero animi et constantis est non perturbari in rebus asperis nec tumultuantem de gradu deici, ut dicitur, sed praesenti animo uti et consilio nec a ratione discedere". Simile illud pancratiastarum Cicero moris Romanorum ratione habita mutavit; nam verba, quae sunt „tumultuantem de gradu deici, ut dicitur", ad gladiatorum proelia spectant. Illa sententia autem ex Panaetii libro II desumpta ad explicationem tertiae virtutis, magnitudinis animi, pertinet.

Nunc ad ipsum propositum accedam.

I. De Ciceronis libri I §§ 1—60 et Panaetii libro I.

Prohoemium libri I de off. (§§ 1—6) nimirum ipsius Ciceronis est. — §§ 7. 8 Cicero Panaetium vituperat, quod definitionem officii praetermiserit, cum omnis quae ratione suscipiatur de aliqua re institutio debeat a definitione pro-

1) Falso van Lynden p. 113 sq. Fowler p. 6 sq.

ficisci[1]), et hunc locum frustra studet supplere[2]). — § 9 exponit, quo modo Panaetius totam quaestionem diviserit, et § 10 hanc divisionem corrigere conatur.

Capite 4 Cicero exponit, quibus ex fontibus virtus oriatur, et singularum virtutum quasi formas describit. De eadem autem re fin. II § 45 sqq. ita disputat, ut non solum sententias easdem et eundem sententiarum ordinem, sed fere eadem verba proferat. Qui loci ut facilius inter se comparari possint, eos iuxta apponam:

Off. I c. 4.	Fin. II §§ 45—47.
§ 11. Principio generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam corpusque tueatur, declinet ea, quae nocitura videantur, omniaque, quae sint ad vivendum necessaria, anquirat et paret, ut pastum, ut latibula, ut alia generis eiusdem. Commune item animantium omnium est coniunctionis appetitus procreandi causa et cura quaedam eorum, quae procreata sint.	
Sed inter hominem et beluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest quodque praesens est, se accommodat, paulum admodum sen-	Homines enim, etsi aliis multis, tamen hoc uno plurimum a bestiis differunt, quod

1) Hanc adnotationem Cicero in deliciis habet. cfr. rep. I 38. fin. I 29. II 3.

2) Viri docti, qui h. l. lacunas aut interpolationes esse statuerunt, Ciceronem ipsum corrigere conati sunt. Cfr. etiam Hirzel l. c. II 340, 2. 411 sq. 414.

Off. I c. 4.

tiens praeteritum aut futurum; homo autem, quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt

earumque praegressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat

rebusque praesentibus adiungit atque adnectit futuras, facile totius vitae cursum videt ad eamque degendam praeparat res necessarias.

§ 12. Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitae societatem ingeneratque in primis praecipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt, impellitque, ut hominum coetus et celebrationes et esse et a se obiri velit ob easque causas studeat parare ea, quae suppeditent ad cultum et ad victum nec

sibi soli,

sed

coniugi, liberis ceterisque, quos caros habeat tuerique debeat;

Fin. II §§ 45—47.

rationem habent a natura datam mentemque acrem et vigentem celerrimeque multa simul agitantem et, ut ita dicam, sagacem, quae et causas rerum et consecutiones videat

et similitudines transferat et disiuncta coniungat et cum praesentibus futura copulet omnemque complectatur vitae consequentis statum.

Eademque ratio fecit hominem hominum appetentem cumque iis natura et sermone et usu congruentem, ut profectus a caritate domesticorum ac suorum serpat longius et se implicet primum civium, deinde omnium mortalium societate

atque, ut ad Archytam scripsit Plato, non sibi se soli natum meminerit, sed patriae,

sed suis,

ut perexigua pars ipsi

Off. I c. 4.

quae cura exsuscitat etiam animos et maiores ad rem gerendam facit.

§ 13. In primisque hominis est propria veri inquisitio atque investigatio. Itaque cum sumus necessariis negotiis curisque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiscere cognitionemque rerum aut occultarum aut admirabilium ad beate vivendum necessariam ducimus. Ex quo intellegitur, quod verum, simplex sincerumque sit, id esse naturae hominis aptissimum.

Huic veri videndi cupiditati adiuncta est appetitio quaedam principatus, ut nemini parere animus bene informatus a natura velit nisi praecipienti aut docenti aut utilitatis causa iuste et legitime imperanti: ex quo magnitudo animi existit humanarumque rerum contemptio.

§ 14. Nec vero illa parva vis naturae est rationisque,

Fin. II §§ 45—47.

relinquatur.

§ 46. Et quoniam eadem natura cupiditatem ingenuit homini veri videndi, quod facillime apparet, cum vacui curis

etiam, quid in caelo fiat, scire avemus,

his initiis inducti omnia vera diligimus, id est fidelia, simplicia, constantia, tum vana, falsa, fallentia odimus, ut fraudem, periurium, malitiam, iniuriam. Eadem ratio habet in se quiddam amplum atque magnificum, ad imperandum magis quam ad parendum accommodatum,

omnia humana non tolerabilia solum, sed etiam levia ducens, altum quiddam et excelsum, nihil timens, nemini cedens, semper invictum. Atque his tribus generibus honestorum no-

Off. I c. 4.

quod unum hoc animal sentit,

quid sit ordo, quid sit, quod deceat in factis dictisque, quid modus. Itaque eorum ipsorum, quae aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, convenientiam partium sentit; quam similitudinem natura ratioque ab oculis ad animum transferens multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conservandam putat cavetque ne quid indecore effeminateve faciat, tum in omnibus et opinionibus et factis ne quid lubidinose aut faciat aut cogitet. Quibus ex rebus conflatur et efficitur id, quod quaerimus, honestum, quod etiamsi nobilitatum non sit, tamen honestum sit, quodque vere dicimus, etiamsi a nullo laudetur, natura esse laudabile.

Caput 5.

Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam faciem honesti vides, quae „si

Fin. II §§ 45—47.

tatis quartum sequitur
et in eadem pulchritudine et aptum ex illis tribus, in quo inest ordo

et

moderatio.

Cuius similitudine perspecta in formarum specie ac dignitate transitum est ad honestatem dictorum atque factorum. Nam ex his tribus laudibus, quas ante dixi, et temeritatem reformidat et non audet cuiquam aut dicto protervo aut facto nocere vereturque quicquam aut facere aut eloqui, quod parum virile videatur. [Fin. II 49: non ob eam causam tamen illud dici esse honestum, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset specieque laudabile.]

§ 48.

Habes undique expletam et perfectam, Torquate, formam honestatis, quae ....

Off. I c. 4.	Fin. II §§ 45—47.
oculis cerneretur, mirabiles amores", ut ait Plato, „excitaret sapientiae".	[Fin. II 52: „Oculorum", inquit Plato, „est in nobis sensus acerrimus, quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentis amores excitaret sui!"]

Ergo ex Panaetii libro non fluxit haec virtutum descriptio. Quin etiam a Cicerone libro I de off. tum demum inserta est, cum liber ipse iam conscriptus esset. Nam nonnullae sententiae, quae off. I c. 4 inveniuntur, cum in libro de fin. desint, ex sequenti parte ipsius libri de off. fluxerunt. Quod enim off. I § 12. 13 ei rei magnam vim attribuit Cicero, ut ea parentur, quae ad vitam degendam necessaria sunt, cfr. § 17: „Reliquis autem tribus virtutibus necessitates propositae sunt ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitae continetur" sqq. — Off. I 13 tertiae virtutis loco magnitudinem animi nominat, quod in sequentibus § 61 sqq. tantum magnitudinem animi, non ipsam fortitudinem tractat[1]). — Eodem loco addit verba, quae sunt „nisi praecipienti aut docenti aut utilitatis causa iuste et legitime imperanti". Haec exceptio inde orta est, quod § 64 queritur in magnitudine animi facillime n i m i a m cupiditatem principatus innasci, ex quo effici, ut ei ipsi, qui illa virtute maxime excellant, „neque d i s c e p t a t i o n e vinci se nec ullo p u b l i c o a c l e g i t i m o i u r e patiantur". — In descriptione quartae virtutis off. I 14 decori notio additur, quod in explicatione huius virtutis § 93 sqq. ei illam notionem substituit[2]).

---

1) Etiam ea coniunctio, quam § 12 ex. inter iustitiam et magnitudinem animi esse statuit, eo revocanda esse videtur, quod § 17 eaedem virtutes eodem vinculo colligantur.

2) V. infra p. 24 sqq. — In primis conferenda est § 126: „Sed quoniam decorum illud in omnibus factis, dictis, ... cernitur".

Quare statuere possumus Ciceronem ad caput 4 libri I de off. elaborandum libro II de fin. usum esse. Nam etiam ea tria enuntiata, quibus exponitur, quae communia munera omnibus animantibus a natura tributa sint et quibus rebus beluae ab hominibus distent, Ciceronem off. I c. 4 ideo addidisse credi potest, quod h. l. rem inde ab initio repetere volebat, fin. II 45 sqq. tantum „breviter constituere, quale honestum esset“ [1]). Sed illa virtutum descriptio non tota ex unius graeci philosophi libro fluxit, verum a Cicerone ipso composita est. Nam locus ille ex Platonis epistula ad Archytam nona petitus[2]) formam verborum praebet Ciceronis propriam a solitaque abhorrentem. Huius loci ipsa graeca verba Ciceronem haud ignorare inde elucet, quod ea off. I 22 satis accurate vertit. Minus accurate ea reddit fin. II 45, minime off. I 12[3]), sed hi tres loci eo consentiunt, quod nullo *τῶν γεννησάντων* mentio fit. — Praeterea principales partes illius descriptionis virtutum non omnes ad eundem finem spectant. Fin. II 46 enim demonstratur, quomodo a fonte sapientiae ad fontem iustitiae natura nos traducat. Sequentibus igitur agendum erat de iustitia; agitur autem de magnitudine animi. Haec male se habere Cicero ipse intellexisse videtur; nam off. I 13 ea verba, quibus transitio a veri videndi cupiditate ad

---

1) Cfr. fin. III cap. 5. — Causae antecedentis notio, quam off. I 11 addit, ei certe notissima erat, cum non multo ante librum de fato conscripsisset.

2) Graeca haec sunt (p. 358 A): ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι.

3) Patriam nimirum ideo h. l. omittit, quod studium parandi ea, quae suppeditant ad victum, ad eam pertinere non potest. Τῶν φίλων autem notionem dividit eorumque nonnulla genera separatim commemorat. — Ceterum hanc Pseudo-Platonis sententiam iam diu in deliciis habebat; cfr. pro Murena § 83. Madvig. ad fin. II 45.

iustitiam significata erat, partim mutavit partim delevit[1]). — Postremo ne id quidem, quod tum tantum, cum vacui curis simus, rerum naturae latebris scrutandis operam dare dicimur, graeci philosophi sententia esse videtur[2]).

Singulas vero partes singulasve sententias huius descriptionis, quae nimirum ad graecos philosophos revocandae sunt, Ciceronem non tum demum, cum eam compositurus esset, collegisse, sed iam antea coniectaneis mandatas habuisse veri est simillimum.

Et ut vidimus eum hanc descriptionem tum demum inseruisse, cum librum I iam conscripsisset, ita infra cognoscemus[3]) illam vel sententias, ex quibus composita esset, in sequenti parte libri conscribenda ei praesto fuisse. Videtur autem eo ipso, quod illis sententiis usus erat, commotus esse, ut hanc virtutum explicationem post inculcaret.

Capite 5 Cicero et describit iterum quatuor virtutum genera[4]) et, quae cuiusque munera vel officia sint, exponit. Panaetianae autem doctrinae vestigia h. l. nunc[5]) inde cognoscimus, quod primae virtuti, cui quasi materia subiecta sit veritas, opponuntur tres reliquae, quae in eo genere versentur, ad quod actio sit adhibenda[6]), et quod contemplativae virtuti subiunguntur et sapientia et prudentia[7]).

Primae autem virtutis officia Cicero uno capite 6 ex-

---

1) Pro vocabulis „fidelia, simplicia, constantia" scripsit „verum, simplex sincerumque"; cetera usque ad finem delevit.

2) V. infra p. 13.

3) V. p. 13. 17, 4. 19, 5. 22, 3. 29, 3.

4) Quare caput 4 etiam supervacaneum est.

5) Ceterum cfr. infra p. 21.

6) Diog. L. VII 92. Fowler p. 44.

7) § 15 p. in. „perspicientia veri sollertiaque", § 15 ex. „sapientiam et prudentiam", § 16 m. „prudentissimus et sapientissimus". Fowler p. 21, 1.

plicat. Panaetio tantum attribuere possumus, quod ultimo enuntiato illa divisio contemplativae virtutis in prudentiam et sapientiam repetitur. Reliqua pars capitis non nisi ad scientiae studium spectat. Praeceptum quidem, quod § 19 in. datur, et cum § 13 in. consentit neque Panaetii esse potest; nam rep. I 15 ipse propter vitium h. l. vituperatum reprehenditur [1]).

Iam §§ 20—60 Cicero de secunda virtute agit eamque dividit in iustitiam (§§ 20—41) et beneficentiam (§§ 42—60). Iustitiae duo munera esse: primum ut ne cui quis noceat nisi lacessitus iniuria, deinde ut communibus pro communibus utatur, privatis ut suis. Et postquam primum de secundo munere egit §§ 21—23, § 23 ad prioris explicationem transit. Iniustitiae igitur duo genera esse, unum eorum, qui inferant, alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possint, non propulsent iniuriam. Et §§ 24—26 prius, §§ 28. 29 posterius genus tractatur; § 27 autem ad utrumque spectat. Dicit enim Cicero „in omni iniustitia permultum interesse, utrum perturbatione aliqua animi an consulto et cogitata fiat iniuria". Haec divisio et in antecedentibus et in sequentibus observatur. § 24 Cicero dicit homines inferre iniurias saepe metu, maximam autem partem cupiditate vel libidine i. e. eis perturbationibus commotos, quae ad futurum tempus [2]) spectant. In sequentibus autem § 28 ei, qui defensionem praetermittunt officiumque deserunt, aut nolle, i. e. con-

---

1) Omnino in prohoemio libri I rep. Cicero sententiam off. I 19 prolatam fusius exponit, ubi etiam C. Sulpicius Galus praedicatur (§ 21 sq.). Singillatim cum verbis, quae sunt off. I 19 „Virtutis laus omnis in actione consistit", conferatur rep. I 2. Geometriae, dialecticorum, iuris civilis exempla a Sex. Pompei commemoratione pendere demonstrat Brut. § 175: „Sextus Pompeius . . . praestantissimum ingenium contulerat ad summam iuris civilis et ad perfectam geometriae et rerum stoicarum scientiam.

2) Tusc. IV 11, 14.

sulto et cogitatam facere iniuriam, aut impediri dicuntur. Eae res autem, quibus impediuntur, in duas partes dividuntur: „aut neglegentia, pigritia, inertia aut suis studiis quibusdam occupationibusve". Pigritiam autem Stoici metui subicientes esse dicunt „metum consequentis laboris"[1]). Respondet igitur hic metus consequentis laboris, qui in secundo membro secundum locum obtinet, „labori", qui in primo membro eodem loco nominatur. Porro impediri homines his studiis: „aut studio veri investigandi aut studio rei familiaris tuendae aut odio hominum". Haec igitur pertinent ad cupiditatem vel libidinem; nam odium est „ira inveterata", ira autem „libido poeniendi eius, qui videtur laesisse iniuria"[2]). Studium autem rei familiaris tuendae ad eandem rem spectat atque in primo membro „sumptus suscipere nolle". Et studium veri investigandi in eadem regione versatur atque „laborem suscipere nolle" et „pigritia"[3]).

Quare quod in primo membro dicitur „inimicitias suscipere nolle", id quoque ad eundem finem pertinere putabimus atque neglegentiam in secundo et odium hominum in tertio membro. Neglegere igitur h. l. eandem vim habet atque contemnere, despicere; graece enim est *ὀλιγωρεῖν*. Qui alicui iniuriam inferri sinit, aut inimicitias eorum, qui inferunt, subire non vult; aut eum, cui iniuria fit, despicit i. e. metuit, ne pro eo inimicitias eorum, qui iniuriam faciunt, suscepturus sit, vel eum minoris aestimat quam eos, qui inferunt; aut ipse eum, quem non defendit, poenire cupit.

Similique modo sumptus suscipere nolle et inertia et studium rei familiaris inter se coniungenda sunt. Sed

1) Tusc. IV 19. ὄκνος Stob. ecl. II 92, 1 W.

2) Tusc. IV 20.

3) Metui consequentis laboris recte respondet cupiditas veri cognoscendi; labore vita activa, veri cognitione vita contemplativa continetur.

inertia huc non quadrat: Cicero, qua erat neglegentia, pigritiae notione adductus esse videtur, ut verbum idem significans adderet. Graece fortasse erat ἀνελευθερία vel tale quid.

Atqui inimicitiae, labor, sumptus ad eas res spectant, quibus ad bene beateque vivendum praeter virtutem opus esse statuebat Panaetius, ad ἰσχύν, ὑγιείαν, χορηγίαν[1]). Quod attinet ad sumptus et τὴν χορηγίαν, hoc per se apparet. Sed etiam labor et ἡ ὑγιεία ad eundem finem pertinent, ad salutem sive corporis sive animi, cui certe officit labor (πόνος). Et ἡ ἰσχύς a Panaetio intellegitur vis, gratia, auctoritas, quam quis habeat apud homines[2]), cui item oppositae sunt inimicitiae.

Ea igitur, quae de iniustitiae duobus generibus eorumque causis proferuntur, ex Panaetii libro fluxerunt. Singula nunc quidem praetermittamus et statim videamus de beneficentia. Hanc tres cautiones habere dicit Cicero § 42. Prima igitur, quae altera parte paragraphi 42 et § 43 accuratius explicatur, idem de beneficiis praecipit, quod § 32 de promissis[3]), ne obsit benignitas eis, quibus benigne videatur fieri; additur, ne beneficiis, quae in alios conferamus, aliis noceamus. Hoc praeceptum in primis ad res romanas aetatis Ciceronianae spectare demonstrat § 43. Praeterea Cicero id potissimum genus beneficiorum respicit, quod pecunia constat; secunda vero cautio, quae § 44 illustratur, tantum ad hoc genus pertinet. Sed Panaetio veram beneficentiam opera potius quam pecunia praestari placebat[4]). Quare illa praecepta ei attribuere non licet. Contra tertia cautio ad omnem beneficentiam pertinet et consentit cum Stoicorum definitione τῆς δικαι-

1) Diog. L. VII 128. Fowler p. 44.
2) Hoc demonstrabitur infra p. 35.
3) V. infra p. 18, 1.
4) V. infra p. 34 sqq. et off. II § 52 sqq.

οσύνης, quae est ἐπιστήμη ἀπονεμητικὴ τῆς ἀξίας ἑκάστῳ[1]). Explicatur autem § 45. Sed quod h. l. etiam communitas ac societas vitae spectanda esse dicitur, haec ad τῆς ἀξίας notionem omnino non pertinet[2]). De tribus ceteris rebus, quae respiciendae sint, Cicero agit §§ 46—49 et quidem de moribus § 46, de animo erga nos, quem accuratius appellat benivolentiam, § 47, tum inde a verbis „sin erunt merita" de officiis vel beneficiis ad nostras utilitates ante collatis.

Haec conferas cum eis, quae de iniustitia Panaetium exposuisse vidimus: cohaerent enim artissime. Nam tria secundae virtutis munera distinguuntur: primum ne quis ipse iniuriam inferat; deinde ut iniuriam, quae ab aliis infertur, prohibeat; tum ut ultro beneficia praebeat. Opponuntur inter se primum et tertium; secundum ea quasi inter se coniungit.

Praeterea singulae causae, quibus homines ad iniustitiam adducuntur et quibus ad beneficentiam adduci debent, aptissime inter se respondent. Et quidem maxime rursus ea, quae de primo, et ea, quae de tertio munere dicuntur, inter se opposita sunt. Nam is, qui iniuriam alteri infert, aut consulto hoc facit; aut quod metuit, ne, nisi id fecerit, ipse ab eo, cui illaturus est, aliquo afficiatur incommodo; aut quod cupit ab illo commodum sibi comparare. Illi metui in explicatione beneficentiae et respondet et opposita est benivolentia, quam quis nobis iam praestitit; huic cupiditati ex adverso ponuntur beneficia, quae quis nobis iam tribuit[3]).

---

1) Stob. ecl. II p. 59, 9 W.

2) In ea servanda Cicero § 17 et 20 summam totius secundae virtutis posuerat.

3) Quoniam ad beneficentiam homines adduci vult Panaetius primo loco virtutibus eorum, in quos beneficia conferenda sunt (§ 46), consentaneum est consulto iniuriam inferri maxime propter eius, cui infertur, vitia. Sed hanc partem divisionis aut Cicero aut ipse Panaetius praetermisit.

Haec igitur est partitio sagacissime excogitata, quam in explicanda secunda virtute Panaetius adhibuit. Iam singula videamus. Duorum igitur munerum, quae Cicero § 20 iustitiae esse statuit, prius tantum ad Panaetii partitionem pertinet idque a Cicerone paululum mutatum[1]). Nam non de nocendo, sed de iniuria vel facienda vel admittenda in illa partitione dictum erat[2]); exceptionem autem eam, quam concedit Cicero, ut ei, qui lacessitus sit iniuria, nocere liceat, Panaetii non esse inde apparet, quod § 29 odium improbatur i. e. „libido poeniendi eius, qui videatur laesisse iniuria". Neque igitur pauca ea, quae cap. 11 § 33 ad eam exceptionem accuratius determinandam proferuntur, ex Panaetio fluxerunt[3]). Item cum his cohaerentes §§ 34—40, quibus de iure belli agitur, ab ipso Cicerone additae sunt[4]).

Quae § 24 sqq. de pecuniae et imperiorum, honorum, gloriae cupiditate dicuntur, omnia Ciceronis esse apparet.

Sententia Panaetii § 27 prolata, quae statuit leviorem esse eam iniuriam, quae perturbatione aliqua animi, quam eam, quae consulto fiat, genuinae Stoicorum doctrinae repugnat; sed in gravissimis rebus a ceteris Stoicis Panaetius dissentiebat[5]). Cicero autem hic quoque Panaetii sen-

---

1) Cfr. III 76.

2) Discrimen inter has notiones intercedere statuit ipse Cicero fin. III 71.

3) Sententiae ibi prolatae ex Plat. Gorg. p. 525 b haustae sunt (Heinii adn.), cuius dialogi Ciceronem interiorem quandam notitiam habuisse constat.

4) Alterum munus iustitiae Cicero prius explicat §§ 21—23. — § 22 ut locum illum Pseudo-Platonis afferret, eo commotus esse videtur, quod fons, ex quo fin. II 45—47 et off. I c. 4 fluxerunt, ei ante oculos erat. Cfr. supra p. 11. 12. — Cum altera paragraphi 22 parte cfr. fin. III 67; neque hic neque aliis locis, quibus Stoicos commemorat, Cicero hoc nomine ipsum Panaetium significare vult. — De origine vocabuli „fides" eadem sententia profertur rep. IV 7.

5) Cfr. etiam infra p. 19. Ceterum alius quoque Antipatri Tar-

tentiam paulum perturbavit. Nam cum ipse initio dicat ad omnem iniustitiam spectare illud discrimen, post ita loquitur, quasi tantum ad inferendam iniuriam pertineat.

Quae inde a § 29 ex. usque ad finem capitis 10 exponuntur, non sunt huius loci. Nam spectant cum ad *τὸ κατὰ περίστασιν καθῆκον* tum ad repugnantiam honestatis et utilitatis, quam Panaetius peculiari libro tractaturus erat, sed non tractavit[1]).

§ 41 complures sententiae collectae sunt, quae nec inter se nec cum antecedentibus cohaerent; quare Panaetio attribuere non possumus[2]).

Iam §§ 46—49 Cicero ea, quae Panaetius de beneficentia sentiebat, profert, sed non satis distincte expressit et sua addidit. § 46 ne eos quidem neglegendos esse, in quibus tantum simulacra virtutis esse intellegamus, nescio utrum Panaetius praescribat an Cicero[3]). § 47 ut benivolentiam non adulescentulorum more ardore quodam amoris, sed stabilitate potius et constantia iudicemus, monet nos non Panaetius, sed Cicero[4]). In eis, quae sunt de be-

---

sensis discipulus (cfr. Cic. de div. I 6), Heraclides Tarsensis, ἄνισα εἶναι τὰ ἁμαρτήματα dicebat (Diog. L. VII 121).

1) Singillatim § 31 sq. praecipitur non semper deposita reddenda vel promissa facienda esse Haec exempla Cicero in deliciis habebat. Cfr., si tanti est, III 92 sqq. Tusc. III 17. Praeterea saepius ad easdem sententias confirmandas eisdem utitur narratiunculis; velut narratio de Hippolyto eodem fere nexu sententiarum etiam de nat. d. III 76 et off. III 94 usurpatur. Praeceptum, quod § 32 ex. datur de promissis, quae aut metu aut dolo malo facta sunt, iure praetorio niti cum hic locus tum III 92 docet. Et cum Cicero hic ad ius pervenerit, § 33 agit de calumniosa iuris interpretatione. Quamquam alterum exemplum Q. Fabii Labeonis non ad hanc, sed tantum ad dolum pertinet.

2) Praeceptum, quod de servis tractandis datur, sane Stoicorum est. Seneca de benef. III 22. Ultimo huius paragraphi enuntiato Platonis sententia deprehenditur, cfr. eius rep. II p. 361 a (Heinii adnot.).

3) „simulacra virtutis“ = εἴδωλα ἀρετῆς Plat. symp. p. 212 a, sed apud Ciceronem iam fin. II 110. V 43.

4) Lael. 33. 74.

neficiis, Panaetii sententia certe deprehenditur § 49, cum ea beneficia, quae iudicio, considerate constanterque delata sint, pluris aestimanda esse dicantur quam ea, quae quis temeritate quadam sine iudicio vel morbo in omnes vel repentino quasi vento impetu animi incitatus tribuerit. Nam respondet sententiae § 27 prolatae[1]). Quod vero § 48 id genus liberalitatis, quod dando beneficio continetur, ei, quod reddendo constat, quasi postponit, hoc Panaetii placitis prorsus repugnat, qui primo loco certe non solum seriei, sed etiam dignitatis posuit virtutes, altero benivolentiam, tertio demum beneficia[2]). Porro praeceptum, quod § 49 ex. datur, ut ei potissimum opitulemur, qui maxime opis indigeat, omnino non huius loci est[3]).

Iam § 50 sqq. Cicero exponit, qua ratione in beneficentia communitas ac societas vitae respicienda sit; vult autem, ut quisque coniunctissimus sit, ita in eum benignitatis plurimum conferri[4]). Sed explicationem huius sententiae ex diversis partibus male conglutinavit. Nam cum explicaturus sit, quae naturae principia sint communitatis et societatis humanae, primum esse dicit, quod cernatur in universi generis humani societate. Hanc partem concludit primis verbis paragraphi 51. Pergit demum § 53 ex. verbis, quae sunt „Artior vero colligatio“ sqq.[5]).

---

1) morbus = πάϑος = perturbatio animi. Tusc. III 7. IV 10.

2) Hesiodi illam sententiam attingit Cicero etiam Brut. 15.

3) Cfr. § 59 in.

4) Cfr. § 44 in.

5) Cum tota hac explicatione cfr. rep. I 38. fin. V 65, de ratione et oratione vinculo humanae societatis off. I 12. legg. I. 27. rep III 3. Tusc. IV 60, de virtute ferarum fin. V 38. legg. I 45, cum § 54 fin. IV 17 atque etiam Tusc. V 5. — Sane haec omnia ex graeco fonte vel ex graecis fontibus fluxerunt; cfr. cum § 54 Stob. ecl. II p. 148, 5 W. Plat. legg. VI 776 a (Heinii adn.). Cum paragraphi 55 ultimo enuntiato cfr. Stob. ecl. II 74, 9 W: συγγενικὴ φιλία. Lael. § 19. — Ceterum illa „naturae principia societatis humanae“, quae sequi iubet Cicero, consentiunt cum § 12 atque etiam magis cum fin. II 45.

§§ 51. 52 exponit, quae beneficia cuilibet homini tribuenda sint[1]). Haec definit Ennii versum aliquem et praecepta Buzygis secutus[2]). § 53 de gradibus societatis dicit eadem atque III 69.

Iam §§ 55. 56 sunt de eo genere societatis, quod constat amicitia. Sententias h. l. prolatas ut insereret, Cicero eo commotus est, quod librum de amicitia paulo ante libros de officiis conscripserat[3]). §§ 57. 58 singula genera societatis quodam modo inter se comparantur[4]). § 59 tangit Cicero τὴν εὐλογιστίαν[5]), quae in omni officio adhibenda sit; sed haec virtus est genus quoddam prudentiae[6]). Nec magis ad iustitiam spectat § 60.

Id igitur vidimus in antecedentibus Ciceronem de libro I Panaetii tantum, ut ita dicam, florem lactis dehausisse eaque, quae dehausit, cum additamentis tam arte coniunxisse, ut vix agnosci possint: idem etiam in sequentibus cognoscemus.

II. De Ciceronis libri I §§ 61—151 et Panaetii libro II.

§§ 61—92 Cicero tractat magnitudinem animi (τὴν μεγαλοψυχίαν), quam iam Panaetius loco fortitudinis posuisse videtur[7]), cum putaret hac potissimum eis, qui „aetatem in medio rerum agunt", opus esse[8]). Hac in parte duos locos habemus, quibus nitamur. § 90 Cicero ipse Panaetium dictum aliquod Africani tradidisse commemorat. Sententiam § 80 ex. prolatam Panaetii esse Gellii

1) Cum § 51 p. in. cfr. § 21 ex.

2) V. Bernays Ber. Berl. Ak. 1876 p. 608. — Ceterum cfr. III 55 et cum § 52 ex. §§ 42. 44.

3) Cfr. Lael. § 28 in., § 48 cap. 14, § 92, § 29.

4) Cum § 58 in. cfr. rep. I fr. 2 Mueller.

5) Cum § 59 in. cfr. § 49 ex.

6) Stob. ecl. II 60, 19 W.

7) Sic etiam Plut. rep. Stoic. p. 1040 D.

8) ἡ μεγαλοψυχία τῇ ἀνδρείᾳ subiecta est. Stob. ecl. II 60, 22 W.

loco XIII 28 collato cognovimus[1]). Panaetius autem praecipit, ut praeparati simus, ne in rebus asperis perturbemur vel de gradu deiciamur. Haec sententia apud Ciceronem invenitur § 73 ex. his verbis expressa: „In omnibus negotiis, priusquam aggrediare, adhibenda est praeparatio diligens“. Eis autem, quae hanc sententiam antecedunt, monet Cicero, ne ignavi simus aut cupidi i. e. ut eis animi perturbationibus liberi simus, quae ad futurum tempus pertinent[2]). Ultimum enuntiatum paragraphi 80 igitur artissime cohaeret cum § 73 ex. § 80 ex. autem Panaetius improbat alteram earum perturbationum, quae ad praesens tempus spectant, aegritudinem; de altera, laetitia, monet § 90.

Hae sunt dilaceratae reliquiae explicationis Panaetii. Et quidem proprie eis illustratur notio *τῆς μεγαλοψυχίας*, quae est *ἐπιστήμη ὑπεράνω ποιοῦσα τῶν πεφυκότων ἐν σπουδαίοις τε γίνεσθαι καὶ φαύλοις*[3]). Sed Panaetius hanc notionem accuratius determinavit. Nam fragmentum illud a Gellio servatum initium capit ab his verbis: „Vita hominum, qui aetatem in medio rerum agunt ac sibi suisque esse usui volunt“ sqq. Et Cicero off. I 17 officia magnitudinis animi hoc modo describit: „ut . . . animi excellentia magnitudoque cum in augendis opibus utilitatibusque et sibi et suis comparandis, tum multo magis in his ipsis despiciendis eluceat“. Panaetii igitur sententia magnitudo animi eorum hominum propria est, qui sibi suisque esse usui volunt, eaque efficit, ut illi vicissitudinibus fortunae aut perturbationibus inde ortis non a proposito avertantur, id quod Cicero § 17 non satis scite exprimit. In utilitatibus autem et sibi et suis comparandis posita est vita activa, cui opposita est vita con-

---

1) V. s. p. 4 sq.

2) Verba, quae sunt „nimis confidat“, cfr. cum eis, quibus § 90 utitur Panaetius, „sibi praefidentes“.

3) Stob. ecl. II 61, 15 W.

templativa vel philosophorum. His igitur magnitudo animi non opus aut non tam opus est quam eis, qui „vitam in medio rerum agunt". Cfr. § 73: „Quae faciliora sunt philosophis, quo minus multa patent in eorum vita, quae fortuna feriat [ergo minus metu torquentur] et quo minus multis rebus egent [ergo minores cupiditates habent] et quia, si quid adversi eveniat, tam graviter cadere non possunt [ergo eorum aegritudo vel angor[1]) non tantus esse potest]"[2]). Iam id quoque intellegitur, quo spectet ea sententia, quae § 81 in. his verbis exprimitur: „Quamquam hoc animi, illud etiam ingenii magni est, praecipere cogitatione futura" sqq. Eos igitur, qui „vitam in medio rerum agunt", ne ingenio quidem philosophis posthabendos esse Panaetius putat. Nam hanc sententiam Panaetii esse vel ea de causa veri simile est, quod praeceptum illud, non committendum esse, ut aliquando dicendum sit: „non putaram", Valer. Max. VII 2, 2 Africano attribuit.

Haec fere Panaetio attribuere possumus. Ex quot autem quibusque fontibus ea fluxerint, quae Cicero his admiscuit, non potest diiudicari. Sed veri simile est hic quoque fontem, ex quo off. I c. 4 et fin. II 45—47 hausta sunt, ei praesto fuisse[3]).

Sed breviter singula consideremus. §§ 62. 63 igitur vel ea de causa non sunt Panaetii, quod ea animi elatio vituperatur, quae pro suis commodis pugnat. § 64 sq. Ci-

---

1) angor = aegritudo premens. Tusc. IV 18.

2) Cfr. verba, quae sunt „quae fortuna feriat", et Gell. XIII 28 „fortunae verbera".

3) Cfr. off. I 13: „. . . ut nemini parere animus bene informatus a natura velit" et fin. II 46: „. . . ad imperandum magis quam ad parendum accommodatum" cum eis, quae off. I § 64 praecipiuntur; porro fin. II 46: „. . . nemini cedens, semper invictum" cum off. I 66: „. . . (hominem oportere) nulli . . subcumbere": haec iam non ad magnitudinem animi, sed ad aliam virtutem τῇ ἀνδρείᾳ subiectam, ad τὴν εὐψυχίαν pertinent, quae est ἐπιστήμη ψυχῆς παρεχομένης ἑαυτὴν ἀήττητον (Stob. ecl. II 61, 17 W).

cero gloriae potissimum cupiditatem improbat ut saepius in hoc libro[1]). §§ 66—69 autem cum Panaetii sententiis sane eo conveniunt, quod Panaetius quoque et magnitudinem animi in perturbationibus sedandis ponebat et ut ceteri Stoici quadripertitam divisionem perturbationum adhibebat; sed accuratior expositio et copia verborum Ciceronis est[2]). Sequentibus inde ab altera parte paragraphi 69 Cicero ea, quae e Panaetio desumpsit, et immutavit et auxit. Panaetius enim tantum explicaturus erat magnitudine animi multo magis eis opus esse, qui rem in medio rerum agant, quam philosophis. Cicero autem eam quaestionem tractat, num cui concedi possit rem publicam non capessere, et philosophis addit et eos, qui „nec populi nec principum mores ferre potuerunt“[3]), et eos, qui „delectantur re sua familiari“[4]). § 72 autem inde a verbis „Capessentibus autem rem publicam“ accuratius sequitur Panaetium, sed iam § 74 rursus digreditur. § 74 sqq. quod Cicero exponit res domesticas nullo modo minores esse quam bellicas, quo spectet haec opinio, apparet ex §§ 77. 78[5]). Paragraphi 80 altera parte ad Panaetii explicationem revertitur, sed iam paragraphi 81 ultimo enuntiato iterum ad iura belli transit[6]). Medicorum[7]) et nautarum exempla, quae § 83 adhibentur, omnium philosophorum communia sunt; Cicero eis ipse saepius utitur. Praeceptum, quod § 84 datur, ad gloriam pertinet; fortasse

---

1) § 26. 68.

2) Cum § 68 cfr. §§ 25. 26.

3) Quo haec spectent, v. Mueller. et Hein. adnn. — De generibus hominum, quae commemorantur, cfr. Lael. § 86 ex.

4) De his autem in conclusione demum huius partis § 92 nonnulla praecipit.

5) Eadem sententia tangitur etiam § 79 et 82; cfr. etiam § 84 ex. et cum § 80 in.: §§ 34 et 35.

6) Cfr. § 34 et cum § 82: § 35.

7) Cfr. Sext. Emp. Hyp. III 280 (Hein. adn.).

haec ex libris de gloria fluxerunt[1]. §§ 85—87 quatuor praecepta Platonis commemorantur; quorum primum (§ 85 in.) cum eis, quae de magnitudinis animi vi ac natura Panaetius statuerat, non magis convenit quam ea, quae § 62 sq. praecipiuntur. §§ 88. 89 de ira fere easdem sententias prolatas invenies atque Tusc. IV 43. 79. § 90 Cicero ad Panaetii explicationem redit[2]. § 91 ex libro de amicitia hausta est[3].

Hanc inconditam molem sententiarum ita in ordinem digerere Cicero conatus est, ut duo genera magnitudinis animi esse statueret, unum quod in rebus asperis (§ 62), alterum quod in rebus prosperis cernatur (§ 90). Sed in priore harum partium multa tractantur, quae minime pertinent ad res asperas.

Venimus iam ad quartam virtutem, cuius in vicem Cicero notionem decori (*τοῦ πρέποντος*) reponit. Vocabulum, quod est *πρέπων*, duplicem vim habet, quae non satis accurate distingui solet. Ubi absolute usurpatur, significat idem fere, quod graece *κόσμιος*, *εὐπρεπής*, et quod nos dicimus „wohlanständig, schicklich", et non procul abest a notione honesti[4]; sed saepe eandem vim habet atque vocabula, quae sunt „aptus, accommodatus", graece *οἰκεῖος*, quod nos dicimus „angemessen". Neutra vero harum notionum cum ipsa quarta virtute quicquam commune habet; tantum in definitione unius earum virtutum, quae *τῇ σωφροσύνῃ* subiciuntur, Stoici utuntur illa priore notione *τοῦ*

---

1) Cfr. verba, quae sunt § 83 a. ex. „gloria et benivolentia civium", cum eis, quae off. II de gloriae vi ac natura exponuntur, et v. infra p. 32.

2) Socratis exemplum a Cicerone allatum est; idem dici potest de Laelio, Philippo, Alexandro. Cfr. Tusc. III 31. 21. Laelius similem ob causam § 108 laudatur.

3) Lael. § 44. 91.

4) Quare „decere" et „honestum esse" saepe coniunguntur.

πρέποντος, cum τὴν κοσμιότητα esse dicant ἐπιστήμην πρεπουσῶν καὶ ἀπρεπῶν κινήσεων[1]).

Et ab hac notione τοῦ πρέποντος etiam Cicero initium capit. Sed cum τῆς κοσμιότητος propria vis notione κινήσεως addita satis accurate esset determinata, Cicero hac notione relicta[2]) totam quartam virtutem nuda τοῦ πρέποντος notione contineri voluit. Cum vero intellegeret πρέπον et honestum fere idem valere, duo quasi πρέποντα ei statuenda erant, unum quod ad omnem honestatem spectaret, alterum quod quartae virtutis vicem praestaret. In definitionibus autem utriusque decori Ciceroni obversatur τέλος illud Stoicorum, quod est ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν, „naturae convenienter vivere", et quod prior notio decori cum honesto eandem fere vim habet et quia vocabula, quae sunt „conveniens, consentaneus" (ὁμολογούμενος), a secunda notione τοῦ πρέποντος non multum distant[3]).

Videmus igitur Ciceronem sensim furtimque a priore notione τοῦ πρέποντος ad alteram transire. Sed haec altera in primis poëtarum, pictorum, histrionum, oratorum, denique omnium earum artium propria est, quae aliquid effingunt vel depingunt[4]). Quare scriptor ipse §§ 97. 98 ab eo πρέποντι, quod poëtarum proprium est, orsus decentiae notionem constituere conatur. Sed plane ultra fines etiam illius πρέποντος progreditur. Nam quod § 98 ad descriptionem decori novum aliquid addit, quod est „non neglegere quem ad modum nos adversum homines geramus" vel, ut post semper per positionem exprimitur, „approbationem eorum, quibuscum vivitur, movere": ab illis artibus id, quod eis fere summum propositum est, ad mores

---

1) Stob. ecl. II 60, 20. 61, 9 W.

2) Cfr. infra p. 26.

3) Post Cicero plane dicit „ad naturam aptus, ad naturam accommodatus" (§ 100 ex.).

4) Cfr. Cic. orat. cap. 21 sq. Velut, si artem oratoriam respexeris, τὸ πρέπον est λέξις οἰκεία τῷ πράγματι. Diog. L. VII 59.

transfert. Illa negativa autem forma huius sententiae ideo usurpatur, quod inde transitio proclivior est ad τὴν αἰδημοσύνην (verecundiam)[1]), quae cum ea conectitur § 99.

§ 100 est de officio decori et generalis et alterius huic subiecti. Maximam autem vim decori in ea parte inesse, de qua nunc disputetur. Nam non solum corporis, qui ad naturam apti sint, sed multo etiam magis animi motus probandos esse, qui item ad naturam accommodati sint. Hac sententia satis levi Cicero viam sibi patefacit a decoro ad ipsam τὴν σωφροσύνην per eam virtutem, in qua una notione τοῦ πρέποντος Stoicos usos esse vidimus, per τὴν κοσμιότητα[2]). Ἡ σωφροσύνη autem γίγνεται περὶ τὰς ὁρμὰς τοῦ ἀνθρώπου et ἡ ὁρμή est φορὰ ψυχῆς (motus animi)[3]).

Cum igitur § 101 in. Cicero determinaturus sit, quid sit ἡ σωφροσύνη, hoc cum definitione τῆς ἐγκρατείας coniungit, quae ipsa quoque τῇ σωφροσύνῃ subiecta est. Nam ἡ σωφροσύνη est ἐπιστήμη αἱρετῶν καὶ φευκτῶν καὶ οὐδετέρων[4]) („docet et explanat, quid faciendum[5]) fugiendumque sit"), ἐγκράτεια autem ἐπιστήμη ἀνυπέρβατος τῶν κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον φανέντων[6]) („Ita fit ut ratio praesit, appetitus obtemperet")[7]). Sed § 103. p. in. 104 transitione satis mira facta exponit Cicero, quatenus ludere et iocari deceat[8]). Hanc partem male inculcatam esse vel inde ap-

---

1) Est ἐπιστήμη εὐλαβητικὴ ὀρθοῦ ψόγου. Stob. ecl. II 60, 20. 61, 10 W.

2) Nam in primis ad corporis motus spectare videtur haec virtus.

3) Stob. ecl. II 60, 13. 86, 19 W.

4) Stob. l. c. 59, 8.

5) Aliis locis Cicero αἱρεῖν accuratius vertit vocabulo „sumere".

6) Stob. l. c. 61, 12. Similiter Diog. L. VII 93 etc.

7) Cum vocabulo ἀνυπέρβατος cfr. verba „praecurrere, evagari, transire", quae post de affectibus usurpantur.

8) De „Atticorum antiqua comoedia" cfr. legg. II 15, 37, de Socrate Brut. 292.

paret, quod § 105 ipsa quoque pertinet ad *τὴν ἐγκράτειαν*, quam Diog. L. VII 93 etiam sic interpretatur, ut dicat eam esse *ἕξιν ἀήττητον ἡδονῶν* (voluptatum). Indeque transit ad *τὴν αἰδημοσύνην* (verecundiam).

§ 107 Cicero iterum a poëtarum *τῷ πρέποντι* orditur, cum dicat duabus quasi nos indutos esse personis, quarum una communis, altera singulis proprie tributa sit. Illam cum generali decoro (§ 96) conectit, hanc vero ullo vinculo cum una vel altera forma decori coniungere non curat. In sequentibus usque ad § 121 de persona singulis proprie tributa agit; singula persequi inutile est[1]).

§§ 126—141 exponit Cicero, quatenus decorum in corporis motu et statu (126—132 in.), in omnibus dictis (132—137)[2]), factis (141) cernatur[3]). Positum autem esse in tribus rebus, formositate, ordine, ornatu ad actionem apto[4]). Formositas tantum aliud vocabulum est pro decoro, quod (non *τὸ πρέπον*) saepe idem est atque pulchrum[5]). Ordo autem et ornatus proprie ad dispositionem et expolitionem orationis spectant. Haec tria cum „difficilia sint ad eloquendum", Cicero statim illo praecepto „approbationem hominum movendam esse" quasi complecti conatur. In sequentibus autem a formositate ad verecundiam vel potius pudicitiam transit, quam cum illa ita quodam modo con-

---

1) Tertia et quarta persona, quae inde a § 115 tractantur, secundae subiungendae potius erant quam adiungendae. Quae §§ 122 usque ad 125 de diversis aetatibus et muneribus dicuntur, tantum appendicis loco sunt. Et hic quoque personarum notio valet, cfr. § 124 „gerere personam civitatis".

2) Paragraphis 138—140 explicatio inculcata est, qua demonstratur, qualem hominis honorati et principis domum placeat esse.

3) § 126 in. haec dispositio inverso ordine profertur. Cum hac cfr. Orat. 74: „. . . decere (declarat) quasi aptum esse consentaneumque tempori et personae; quod cum in factis saepissime tum in dictis valet, in vultu denique et gestu et incessu".

4) οἰκεῖος τῷ πράγματι. Diog. L. VII 59.

5) Sed v. infra p. 29, 3.

iungere studet, ut dicat eam in removenda deformitate positam esse. § 130 ad formositatem redit, sed nunc vocabulo pulchritudinis utitur et hanc cum ornatu ad actionem apto coniungit, qua in re sane illud „ad actionem aptum" neglegitur [1]). De singulis usque ad § 141 non est cur agam [2]).

§§ 142—149 Cicero de una *τῆς σωφροσύνης* parte agit, quam §§ 102. 103. 105. 106 nondum attigerat, de *εὐταξίᾳ*, cum qua ordinem § 126 commemoratum, sed post neglectum conectit. Hunc ab ordine sive sententiarum sive verborum, qui in oratione servandus est, ad vitam translatum esse, Cicero ipse demonstrat summo illo praecepto, quod § 144 in. dat: „Talis est igitur ordo actionum adhibendus, ut, quem ad modum in oratione constanti, sic in vita omnia sint apta inter se et convenientia". § 143 etiam ordinem verecundiae, pro qua hic quoque melius nominanda erat „pudicitia", et approbationi hominum subiungit. De singulis tantum dicendum est Ciceronem non *τὴν εὐταξίαν*, sed *τὴν εὐκαιρίαν* tractare [3]), quae § 142 solum in transcursu commemorari videtur, ratione habita et pudicitiae et approbationis hominum.

§§ 150. 151 addit de artificiis et quaestibus qui liberales habendi, qui sordidi sint.

Iam ut universe dicam quid sentiam: Panaetius *τὴν σωφροσύνην* et quatuor virtutes huic subiectas tractavit, Cicero autem huius explicationis paululum tantum ratione habita de decoro egit. Accedit hoc. Orat. §§ 70—74 Cicero exponit, quid sit illud *πρέπον*, quod oratori servandum sit, et similiter atque in libro I off. et id, quod poëtis, pictoribus, histrionibus, et id, quod in vita tenendum sit,

---

1) § 141 loco „ornatus" ponitur „liberalis species et dignitas".

2) § 131 sq. Cicero imitatur paragraphum 100 sq. — Etiam § 141 init. τῆς ἐγκρατείας illud praeceptum repetit.

3) Cfr. § 144 ex.: „inscitia temporis" = ἀκαιρία.

ad rem explicandum adhibet. Quale autem illud vitae morumque decorum intellegat, cognoscitur ex § 73 ex. 74, ubi dicit multum interesse inter decere et oportere; oportere enim perfectionem declarare officii, quo et semper utendum sit et omnibus, decere quasi aptum esse consentaneumque tempori et personae. Luce clarius est hic τὸ τέλειον καθῆκον vel τὸ ἀεὶ καθῆκον [1]) significari, quibus natura opposita sunt τὸ μέσον καθῆκον vel τὸ κατὰ περίστασιν καθῆκον [2]). Eodemque modo accipiendum est, quod Cicero § 72 dicit hunc locum longe et late patentem philosophos solere in officiis tractare, non cum de recto (= κατόρθωμα = τέλειον καθῆκον) ipso disputent. Cicero igitur id πρέπον, quod ad vitam pertinet, genus quoddam officii esse putavit; πρέπειν autem et καθήκειν eo facilius inter se confundere poterat, quoniam utrumque latine est „decere". Et sententias hoc loco Oratoris expositas respiciebat, cum libro I off. explicationem de decoro insereret.

Restat ut pauca suppleamus, quae supra praetermisimus. §§ 95. 98. 126 Cicero statuit similitudinem quandam intercedere inter decorum et pulchritudinem corporum vel formarum et decorum ita fere servari, ut illam pulchritudinem imitaretur [3]): cum his cfr. fin. II 47 et off. I 14. Et fortasse ad eundem fontem revocare licet, quod § 96 Cicero id decorum, quod generi subiectum est, ad singulas partes honesti pertinere dicit [4]), cum tantum ad quartam virtutem pertineat et ipse statim post ad hanc solum id

---

1) Diog. L. VII 109.

2) Quod τὸ ἀεὶ καθῆκον non semper est τέλειον καθῆκον neque τὸ μέσον καθῆκον semper κατὰ περίστασιν καθῆκον, hoc nihil ad nos.

3) Inde § 126 etiam vocabulum „formositatis", cuius loco post „pulchritudo" nominatur, originem duxisse videtur nec non adiectivum „deformis".

4) Etiam § 98 dicit de decoro, „quod spectatur in uno quoque genere virtutis".

referat. Nam fin. II 47 haec virtus ex tribus antecedentibus apta esse[1]) et aliquatenus eadem praestare dicitur.

III. De Ciceronis libro II et Panaetii libro III.

Ad propositum accedit Cicero § 9, ubi postquam dixit, de qua re hoc libro disserere in animo haberet, addit honestatem ab utilitate secerni non posse. Hanc sententiam hoc modo expressam Panaetii esse credi potest, non illam aliam, quam Cicero in deliciis habet et III 34 etiam Panaetio attribuit, honestum et utile idem esse[2]).

Quae inde a § 11 Cicero exponit, homines plurimum hominibus et prodesse et obesse, in universum Panaetio attribuenda esse apparet ex § 16. Sed accuratius nunc quidem nec de hoc loco nec de sequentibus §§ 17—20 iudico, sed statim transeo ad § 21, ubi haec fere explicantur: Quaecunque homines homini tribuunt ad eum augendum atque honestandum, aut benivolentiae gratia faciunt aut honoris aut quod ei fidem habent aut metu percussi aut si quid promissum expectant aut postremo mercede conducti. In sequentibus inde a § 23 usque ad § 29 exponit Cicero „omnium rerum nec aptius esse quicquam ad opes tuendas ac tenendas quam diligi nec alienius quam timeri“. Opponuntur igitur hic inter se id, quod primo, et id, quod quarto loco in illa partitione § 21 nominatum erat. Porro ea, quae tribus prioribus locis commemorabantur, et § 29 ex. ut ad unum finem spectantia inter se coniunguntur et § 31 gloriae notione comprehenduntur. Rationes igitur eae, quibus homines commoveri possunt, ut homini prodesse velint, in duo genera discedunt, ita ut tres probabiles totidemque improbabiles evadant[3]).

---

1) Off. I 14 haec verba tantum neglegentia omissa esse videntur; sententia eadem est.

2) V. infra p. 38.

3) Sed ordinem rationum probabilium Cicero § 21 neglegentia quadam perturbavit: secundae et tertiae rationis loci inter se mutandi

Porro eandem partitionem, quam § 21 protulit, § 22 repetit, sed his verbis incipit: „Atque etiam subiciunt se homines imperio alterius et potestati de causis pluribus“. Atqui § 30 in. et cap. 9 in. discrimen statuit inter benivolentiam singulorum et multitudinis, et § 24 internoscit inter res privatas et rem publicam, inter „incolumitatem“ et „opes potentiamque“. Partitionem igitur § 21 prolatam pertinere vult [1]) ad homines privatos, qui satis habent a paucis diligi; posteriorem vero ad eos, qui alios sibi subicere, opes potentiamque adipisci student, quibus hanc ob causam benivolentia, fide, admiratione multitudinis opus est. Et ut haec gloriae notione comprehenduntur, sic illa tria, si a paucis tribuantur, notioni familiaritatis vel amicitiae subiciuntur [2]).

Omissa igitur amicitia Cicero inde a capite 9 agit de gloria et quidem §§ 32—38 exponit, quibus rebus benivolentiam, fidem, admirationem multitudinis comparare sibi quis possit [3]). Et cum illa tria omnia iustitia conficiat, §§ 39—42 demonstrat, quam late haec virtus pateat. Iam postquam de gloria quaerenda dictum est, de eadem collocanda agitur, i. e. praecepta dantur, quae ad institutionem vitae communis spectant.

Ergo usque ad § 51 dispositio ante constituta servatur, quamquam non diligentissime. Sed inde a § 52 de beneficentia et de liberalitate agit Cicero, quamquam harum virtutum in illa divisione nec vola nec vestigium est. Discedit igitur liber II in duas partes; videamus de priore.

Eaedem igitur quasi partes, ex quibus vera amicitia

---

sunt, ut etiam cap. 9 sqq. demonstrant. Tum bene respondent inter se ratio 1 et 4, 2 (nunc 3) et 5, 3 (nunc 2) et 6, cum 2 et 5 ad res futuras, 3 et 6 ad res praeteritas vel praesentes pertineant.

1) Sed v. infra p. 32.

2) § 30 sq.

3) § 35 in transcursu rationem suam ad populares opiniones adaptatam defendit.

composita esse dicitur, iam in libro, qui inscribitur Laelius, inveniuntur: v. c. cap. 6 in. benivolentia, § 30 admiratio, § 65 fides. Rursus huic amicitiae iam in eodem libro eaedem rationes improbabiles opponuntur: velut § 52 metus, § 31 spes mercedis; saepissime autem praedicat Cicero non lucri causa veram amicitiam iniri. Quare per se credi potest eas sententias, quae quasi fundamenta explicationis §§ 21—51 essent, Ciceronem ex Laelio desumpsisse. Sed dispositio § 21 prolata, quamquam eam ad amicitiam vel ad res privatas pertinere vult scriptor, tamen re vera potius ad rem publicam spectat; cfr. ea verba, quae quinto loco exstant: „cum reges popularesve homines largitiones aliquas proponunt“[1]. Unde fit, ut illa fundamenta fluxerint ex aliquo libro, qui esset de gloria et qui gloriam eisdem rebus niti demonstraret atque Ciceronis Laelius amicitiam. Proclive est de Ciceronis duobus libris de gloria cogitare, quos paulo post Laelium et paulo ante libros de officiis compositos ipse off. II 31 commemorat. Ad hanc opinionem confirmandam accedit, quod iam in Laelio eodem modo atque off. II ab amicitia ad gloriam transit; cfr. § 50 ex. („caritas vulgi“), § 61[2]).

Haec pars igitur in universum non fluxit ex Panaetii libro. Etiamsi autem nescimus, quid ille philosophus libro III περὶ τοῦ καθήκοντος exposuerit, id suspicari licet eum hunc librum, quo de utilitate egit, aliquo vinculo sententiarum cum antecedentibus, qui erant de honestate, coniunxisse. Iam videamus de altera parte libri II de off.

---

1) „Fides“ aliam vim habet in gloria, aliam in amicitia. Hic significat id, quod nos dicimus „die Treue“, illic semper de fide habenda (Vertrauen) dicitur, ita ut in altera partitione (§ 22) pro fide ponatur „spes“ (sibi id utile futurum, si imperio alterius se subiecerint).

2) Quin etiam singulae sententiae, quae off. II ad gloriae notionem illustrandam proferuntur, mirifice cum libro de amicitia consentiunt. Cfr. Lael. 82 m. cum off. II 37 in.

§ 52 igitur Cicero eiusmodi verbis incipit, quasi ordinem in antecedentibus constitutum sequatur. Beneficentia autem et liberalitas in priore parte libri tantum § 32 commemorantur, ubi haec sunt: „quae (benivolentia) quidem capitur beneficiis maxime; secundo autem loco voluntate benefica benivolentia movetur, etiamsi res forte non suppetit; vehementer autem amor multitudinis commovetur ipsa fama et opinione liberalitatis, beneficentiae, iustitiae, fidei omniumque earum virtutum, quae pertinent ad mansuetudinem morum ac facilitatem". Has tres rationes, quibus benivolentia hominum capi posse dicitur, conferas cum § 45 sqq. libri I off. H. l. vidimus[1]) Panaetium in beneficentia praestanda tres res spectandas esse statuisse, virtutes eius, in quem beneficium conferendum sit, praecipue leniores, benivolentiam, beneficia ad nostras utilitates ante collata. Ergo off. II 32 ipsa quoque ex Panaetii libro fluxit[2]).

Porro haec paragraphus arte cohaeret cum eis, quae §§ 11—16 Panaetium exposuisse vidimus homines hominibus plurimum prodesse, vel potius cum eis, quae § 17 in., 19 in., 20 ex. inde concluduntur animos hominum conciliandos et studia eorum ad utilitates nostras allicienda atque excitanda esse. Aliena autem a Panaetii proposito est ea explicatio, qua homines hominibus plurimum obesse dicuntur; hanc addidit Cicero Dicaearchi, „deliciarum suarum"[3]), libro commotus, quem § 16 affert[4]). Item §§ 17 usque ad 20 Ciceronis sunt[5]).

1) V. s. p. 16.

2) Ordo inversus et loco benivolentiae notio „beneficae voluntatis" posita est, quia h. l. non beneficentiae praestandae, sed benivolentiae movendae praecepta dantur, non de honestate, sed de utilitate praescribitur. Benefica autem voluntas a benivolentia eo differt, quod haec tantum animi habitum significat, illa autem simul id exprimitur eum habitum factis quibusdam ostendi.

3) Tusc. I 77.

4) Cfr. Tusc. I 21 et Diels Doxogr. 203.

5) Cum § 18 cfr. partit. orat. 76 sqq. (Hein. adn.).

Restat, ut videamus, quomodo Panaetius sententias § 32 propositas accuratius explicaverit. Eius nomen affertur § 51 p. m.[1]), 60 m., 76. § 76, ubi Panaetius abstinentiam Africani laudasse dicitur, ad tertiam partem divisionis § 32 pertinet. De § 60 v. s. p. 3 sq. Etiam haec ad tertiam partem spectare videntur: praecipitur, quae aedificia ad liberalitatem ostendendam apta, quae non apta sint. § 51 m. Cicero testatur Panaetium dixisse iudicis esse semper in causis verum sequi, patroni non numquam veri simile, etiam si minus sit verum, defendere. Eodem capite § 48 monemur, ut comitate adfabilitateque sermonis hominum animos conciliemus, et testimoniorum loco Philippi ad Alexandrum et Antipatri ad Cassandrum et Antigoni ad Philippum filium epistulae commemorantur. Haec quoque ex Panaetii libro fluxisse per se veri simile est; nemo enim putabit Ciceronem ipsum legisse has epistulas[2]). Ergo et § 48 et § 51 id exponitur, quomodo oratione hominum animi ad benivolentiam allici possint. Haec secundae parti Panaetii subiungenda esse putaverim; nam oratio illa quidem non est perfectum beneficium, sed sufficit ad beneficam voluntatem significandam. Et § 51 ea fuisse Panaetii sententia videtur in defensionibus suscipiendis non de ea re haesitandum esse, utrum suscepta causa felicem exitum habitura esset necne, neque ita multum interesse, num causa prorsus certa et id, quod defenderetur, verum esset, sed satis esse id non a probabilitate abhorrere.

Inde a § 52 igitur Cicero de beneficentia ac de liberalitate agere vult: benigne autem fieri aut opera aut pecunia. Haec partitio Panaetii est. Antipater enim

---

1) Quod nonnullae sententiae Panaetii in ea parte libri II inveniuntur, quam in universum ex eius libro non fluxisse putamus, non mirari debemus, quoniam etiam in primo libro eam fuisse Ciceronis rationem vidimus, ut suas ipsius et fontis sententias inter se commisceret.

2) Cfr. etiam § 53.

Tyrius in utilitatum praeceptis duo praeterita esse a Panaetio censebat, valetudinis curationem et pecuniae[1]). Atqui apud Diog. L. VII 128[2]) haec sunt: „Ὁ μέν τοι Παναίτιος καὶ Ποσειδώνιος οὐκ αὐτάρκη λέγουσι τὴν ἀρετὴν, ἀλλὰ χρείαν εἶναί φασι καὶ ὑγιείας καὶ ἰσχύος καὶ χορηγίας. Antipater igitur putabat Panaetio, postquam περὶ ἀρετῆς egisset, ὑγιείαν καὶ ἰσχὺν καὶ χορηγίαν tractandas fuisse ut omnia praecepta, quae ad beate vivendum opus essent, complecteretur; tantum τῆς ἰσχύος eum rationem habuisse. Intellegebat igitur τὴν ἰσχύν vim, gratiam, auctoritatem, quam quis habet apud homines, hac in re Panaetii sententiam recte interpretatus. Sed quod aliquid ab eo omissum esse putabat, non plane intellexit, quid Panaetio videretur. Ἡ ἰσχύς enim ita comparatur, ut in ea paranda et opera et pecunia consumatur. Atque ut pecunia ad τὴν χορηγίαν, ita opera et ἡ ὑγιεία ad eundem finem spectant, ad salutem vel corporis vel animi, cui nocet opera et labor[3]). Id igitur statuebat Panaetius rem utilissimam, quam τὴν ἰσχύν esse exposuerat, ita quaeri, ut eae duae res, quae minorem utilitatem afferrent, aliquatenus effunderentur[4]).

Paragraphos autem 52—85 hoc modo dividit Cicero: „Benigne fit aut pecunia aut opera (52—55). Qui pecunia beneficia dant, sunt aut prodigi (55—60) aut liberales (61—64). Ea autem beneficia, quae opera dantur, aut in singulos cives conferuntur (65—71) aut in rem publicam (72—85)“. Haec divisio eius ipsius esse videtur.

Quae sententiae in hac parte prolatae singillatim praeter eas, de quibus iam vidimus, Panaetio attribuendae

1) Off. II 86.

2) Fowler p. 44.

3) Cfr. supra p. 15.

4) Ceterum valetudinis ipsius curatio sine hominum opera nulla esse posse § 12 dicitur. De pecunia autem quaerenda non erat, cur Panaetius familiaribus Scipionis praecepta daret.

sint, diiudicare non possum. Tantum affirmare posse mihi videor eas, quae § 53 ex epistula quadam Philippi ad Alexandrum et § 56 ex Aristotelis aliquo deperdito libro ad verbum expressae afferuntur, itemque eas, quae inde pendent, ex libro III *περὶ τοῦ καθήκοντος* fluxisse.

Pars II.

I. De libro de officiis III.

Primum quaerendum est, num sumere liceat Ciceronem in hoc libro componendo ex uno eodemque fonte hausisse[1]). § 34 igitur ipse dicit se nullis adminiculis, sed Marte suo partem a Panaetio relictam expleturum esse et causam addit, quod post illum de hac parte nihil explicatum sit, quod sibi probaretur. His verbis non est cur fidem non habeamus. Accedit quod nullo loco vestigia meditatae dispositionis apparent. Sed gravissimum argumentum hoc est: § 89 sqq. enim exponitur, quid de compluribus causis, in quibus utilitas honestati repugnaret, senserit Hecato; sed ne haec quidem omnia ad hunc unum philosophum revocari possunt. De eis enim causis, quae § 91 tractantur, Diogenes et Antipater inter se dissensisse dicuntur. Atque similis horum Stoicorum dissensio etiam § 50 sqq. et 54 sqq. commemoratur. Unde conclusum est hos locos omnes ex Hecatonis libro fluxisse. Sed causas §§ 89. 90 propositas minutissime tractat accuratissimeque diiudicat Hecato, § 91, 50 sqq., 54 sqq. satis habet Ciceronis auctor Diogenis et Antipatri sententias inter se opponere proprio iudicio non addito. Quare Cicero ipse suo arbitrio rem diiudicat. Porro verba, quae exstant § 56 ex.: causas ante tractatas non ideo se (Ciceronem) exposuisse, ut quaereret, sed ut explicaret, suspicionem movent Ciceronis

1) Hoc pro explorato habent Teuffel, Römische Literaturgeschichte p. 343, Hirzel l. c. p. 726 sqq.

auctorem consulto illas quaestiones iniudicatas reliquisse. Quid secutus sit et quis fuerit, apparet ex rep. III 29. Hoc enim loco non solum aliqua ex parte eaedem causae tractantur, sed etiam divisio causarum eadem est atque in libro III off. Nam primum de eis causis agitur, quibus venditori, deinde de eis, quibus emptori inter utilitatem et honestatem diiudicandum est. Atque etiam off. III quaestiones §§ 50 et 54 prolatae et tres priores paragraphi 91 ad venditoris, ultima ad emptoris iudicium spectant. Proposuerat autem illas quaestiones nec Diogenes nec Antipater, sed Carneades, et quid secutus sit, demonstrat rep. III 31 in.: „Ita ergo iustitiam cum in duas partes divisisset alteram civilem esse dicens, alteram naturalem, utramque subvertit, quod illa civilis sapientia sit quidem, sed iustitia non sit, naturalis autem illa iustitia sit quidem, sed non sit sapientia.“ Et cum haec fere dissensio esset inter Diogenem eiusque discipulum Antipatrum, ut ille civilem iustitiam, hic naturalem probaret[1]), subvertit etiam Diogenis et Antipatri doctrinam moralem, qui ut Stoici erant eius praecipui adversarii.

Sequitur, ut off. III 50. 54. 91 fluxerint ex libro cuiusdam Academici[2]). Verbosior autem illa altercatio, quae § 52. 53. 55 inducitur, a Cicerone ipso excogitata esse videtur[3]).

Quantum autem valuerit Carneadis censura ad seriorum Stoicorum praecepta moralia conformanda[4]), apparet

1) Off. III 51.

2) Ciceronem, cum scriberet § 91 in. „Quaerit etiam“, iam non nominis Hecatonis, quod aliquanto supra allatum erat, meminisse credi potest.

3) Cum § 55 cfr. off. I 51. 52. Diogenis argumentatio nititur aliquo praecepto romani iuris civilis: Digest. XVIII 1, 43 (Mueller. adn.). § 52 sq. Cicero dicit: „Respondebit Diogenes fortasse sic“. „Inquiet ille“.

4) Quaestionem Carneadis de duobus naufragis (rep. III 30) accuratissime tractat Hecato off. III 89 sq.

vel ex Panaetii libris περὶ τοῦ καθήκοντος. Ille quidem utile et honestum idem esse affirmare non potuit, quippe qui virtutem ad bene beateque vivendum non sufficere statueret. Sed cum Carneades iustitiam et utilitatem vehementissime inter se pugnare dixisset, Panaetius eas ita quasi reconciliavit, ut exponeret vi mutua eas cohaerere[1]). Quamquam haec utilitatis notio, quam Panaetius sibi effinxit, nimis angusta est. Et fortasse eo ipso, quod intellegebat satis multas causas incidere posse, cum vel vilissimae res plus prodessent quam homines[2]), commotus est, ut tertiam operis sui partem, qua repugnantiam honestatis et utilitatis[3]) tractare sibi proprosuerat, relinqueret, quamquam triginta annis vixit, postea quam libros περὶ τοῦ καθήκοντος ediderat[4]).

II. De libri de officiis I §§ 152—161.

Totam hanc partem Hirzelius ad Posidonium revocare vult. Sed non licet ei plura tribuere quam ea, quae Cicero § 159 ad eum refert. Nam §§ 153—158 spectant ad eam quaestionem, quam diversis rationibus expressam Cicero in deliciis habet, utrum vita contemplativa an activa, veri cognitionis an communitatis officia pluris aestimanda sint; magnitudo animi enim § 157 tantum in transcursu quasi extra causam affertur. Singulae vero sententiae fere omnes eae sunt, quas Cicero iam in libris antea compositis protulerit. Hos locos hic breviter colligo: Cum paragraphi 153 priore parte conferenda est Lael. 87. Sapientiae eadem definitio invenitur fin. II 37, paulo accuratior Tusc. IV 57 (et off. II 5). Cum sequentibus cfr.

---

1) Cfr. off. I 45 sqq. II 32 et supra p. 33.

2) V. c. Panaetius ipsas eas quaestiones, quas Carneades rep. III 30 proponit, sua doctrina dissolvere non poterat.

3) Quod Cicero ubique de utilitate dicit, non quae sit, sed quae esse videatur, doctrinam Panaetii non satis diligenter cognitam habebat. Hoc vidit iam Hirzelius.

4) Off. III 8.

rep. I 2. Sententia § 154 prolata ipsa quoque est variata quaedam forma eius sententiae Archytae, quae Lael. 88 commemoratur. Porro cum §§ 155. 156 cfr. fin. III 65, cum § 156 etiam rep. I 12. Lysim magistrum Epaminondae et Platonem magistrum Dionis nominat Cicero etiam de orat. III 139. Cum § 157 cfr. 153 a. ex. Denique § 158 demonstrat scriptor societatem homines non imbecillitate coactos iniisse; similes locos afferre non opus est.

III. De libri de officiis II §§ 88. 89.

§ 89 dictum aliquod Catonis praedicatur. § 88 Hirzelius ad eundem Antipatrum Tyrium revocare vult, cuius sententiam aliquam Cicero in antecedentibus §§ 86 et 87 respicit. Sed hoc nec demonstrari potest nec per se est veri simile.

VITA.

Natus sum Paulus Klohe Stolpae, in oppido Pomeraniae, a. d. III Kal. April. anni 1863 patre usus Ernesto, matre Paulina e gente Horlitz. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus inde ab a. 1871 usque ad 1880 gymnasium eiusdem oppidi frequentavi. Omnibus qui his temporibus me docuerunt praeceptoribus ex animi sententia gratias ago. Auctumno anni 1880 Jenam me contuli, ut iuris prudentiae studio me darem; sed cum iam antea studia philologica mihi valde placerent, aestate sequentis anni in philologorum numerum receptus sum. Inde a. 1882 Berolinum transmigravi ibique annum moratus Gryphiswaldiam me contuli. Docuerunt me vv. dd. Danz, Delbrueck, Gaedechens, Gelzer, Goetz, Meyer, Pierstorff, Schaefer, A. Schmidt, M. Schmidt, Sievers, Wendt Jenenses, E. Curtius, Diels, Dilthey, Geiger, Kirchhoff, Muellenhoff, Roediger, Scherer, Vahlen, Zeller Berolinenses, Kaibel, Kiessling, Reifferscheid, Schuppe, Vogt Gryphienses. Gelzer, Goetz, M. Schmidt Jenae, Kaibel et Kiessling Gryphiswaldiae benigne mihi permiserunt, ut seminarii philologici, Reifferscheid, ut seminarii germanistici essem sodalis ordinarius. Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas nec non Maassio et Susemihlio, qui benivolentissimos erga me se praestiterunt, in primis vero Jenen-

sium Gelzero, Gryphiensium Kiesslingio, qui studia mea semper summa benignitate adiuverunt.

Postquam hieme 1886/87 examen pro facultate docendi sustinui, inde a vere 1887 in eodem gymnasio, cuius fueram discipulus, candidati probandi munere functus sum.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Polyb. fragm. VI cap. 1 § 11 Hultsch ad historiam Numae regis romani pertinet. Cfr. Cic. de rep. II § 28.
2. Cic. off. I § 92 ex. verba corrupta „hominum amice“ nata esse videntur ex his fere verbis: „h. e. minime fallacem“, quibus vocabulum, quod est „vere“, aliquis illustraverat.
3. Ibid. II § 1 verba, quae sunt „in quo tum quaeri — maxime utile“, non recte spuria esse putantur.
4. Henrici de Morungen stropha MF. 137, 34 sqq. non eiusdem carminis est atque ceterae tres, quarum idem est metrum.
5. Eiusdem poëtae in versu MF. 126, 18 pro verbo, quod est „gevangen“, cum cod. A scribo „gewaltec“.

Frommannsche Buchdruckerei (Hermann Pohle) in Jena — 524

VITA.

Natus sum *Carolus Georgius Klinger* die XXII. mensis Novembris anni MDCCCLVII in vico Saxoniae cui Grumbach nomen est prope Annabergam sito, Carolo patre, matre Mathilda e gente Wagner. Primis litterarum elementis a patre, qui in vico Grumbach praeceptoris munere fungebatur, imbutus anno MDCCCLXIX in gymnasium Fribergense receptus sum, quod benevolentissimorum usus disciplina praeceptorum per octo annos frequentavi. Maturitatis autem quod vocant testimonium adeptus primum Erlangae stipendia feci, tum Lipsiam me contuli, ut studiis philologicis et historicis me dederem. Praecipue interfui scholis ARNDTII, CURTII, LANGII, LIPSII, E. MEYERI, DE NOORDENI, RIBBECKII, VOIGTII et per complura semestria sodalis fui seminarii historici, cui illo tempore DE NOORDENUS vir illustrissimus, quem nuperrime litteris morte praematura abreptum dolemus, praeerat. Praeter quem studiorum meorum fautorem et adjutorem plurimum debeo ARNDTIO, MEYERO, RIBBECKIO, quod ne ingratus videar libentissime profiteor.